


REGVLÆ EX CONCILIO

TRIDENTINO.

REGVLA SECUND A.



ÆRESIARCHARVM libri, tam eorum, qui post prædictum annum hereses inuenierunt, vel suscitarunt, quam qui hereticorum capita, aut duces sunt, vel fuerunt, quales sunt, Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Balthazar Pacimontanus, Swenckfeldius, & his similes, cuiusque nominis, tituli argumenti existant, omnino prohibentur. Aliorum autem hereticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant omnino damnantur. Qui vero de religione non tractant, à Theologis Catholicis iussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati, & approbati permittuntur. Libri etiam Catholicæ conscripti, tam ab illis qui postea in heresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati à facultate Theologica alicuius Vniuersitatis Catholicae, vel ab Inquisitione generali, permitti poterunt.

REGVLA QVINTA.

LIBRI illi, qui hereticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cuiusmodi sunt Lexica, Concordantiae, Apophthegmata, Similitudines, Indices, & huiusmodi si que habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis Episcopi, & inquisitoris una cum Theologorum Catholicorum consilio sublati, aut emendatis, permittantur.

REGVLA SEPTIMA.

LIBRI quires lascivas, seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fides, sed & moralium, qui huiusmodi librorum lectione facile corrupti solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur; & qui eos habuerint, seuerè ab Episcopis puniantur. Antiqui vero, ab Ethni-